



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 83. Et factus in agonia. v. 43.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

piemus, ac si dixisset, juxta secundam explicationem, peto ex amore patris & humani generis dissolui & esse anathema; sanguinem meum fundere, & corpore meo exsugere, nihilominus ita affectus ipsum, ut hoc ipsum fieri vel non fieri in arbitrio patris deponam. Frustrum etiam, qui depositionem corporis mei, & sanguinis effusionem se qui potest, etiam si ego eum velim latissime parere & propagari, tamen in manu & dispensatione patris mei, uti me ipsum, relinquo.

**O** Admirabilem resignationem! verè insolita apud nos ista fuit reverentia patris. Ego istam considerans pudore suffundor & dolore pudore quia mei iudicii & propriae voluntatis ita sum tenax; dolore, quod pro me tam parum ago, & video tantum pro me laborare Filium Dei, Dominum meum.

§. 82. Apparuit autem illi Angelus de caelo confortans eum. v. 43.

Quando nam hic Angelus Domino apparuerit, Lucas non expectavit, utpote qui omnes horum orationes in unam massam convolvit. In spiritibus ergo ceteros, si forte ex eis ordo aliquis elucescat. Elucescit autem hic quod Lucas ultimam orandi vicem potissimum expresserit, uti Mattheus & Marcus primam & secundam vicem orantis. Conferat istas qui volent, & inveniet. Sed quomodo Angelus confortabat creatorem suum? mira res, puerum confortare robustum parentem suum!

**S**ed agnosce, o homo, in Domino, duplicem naturam, divinam & humanam in una persona. Quod secundum divinam non poterat Angelus, poterat secundam humanam spectans, si volebat, qui infirmitates nostras assumpsit, & solatia non est abominatus nostra, passus est, refectus est, portatus est ab hominibus, imo a daemonio translatus, quidni ab Angelo bono acciperet solatiū, à quo & ministerium, nullius egens humaniter accipit. Non sicut superbi, Hi à nullo si possent, vellent opem praestolari, ne cogantur agnoscere beneficentiam alienam, qui volunt stabilire suam gloriam.

§. 83. Et factus in agonia v. 43.

Agon est angor eorum qui in certamen descendunt, uti docent A. & Græci ac Latini, qui angor cum in quibusdam futuri æque ac suæ fortunæ in scisci, magnopere autem se suaque reputantibus solet esse exanimatus, plerumque Agonia pro ea anxietate accipitur, quæ est ad mortem, & animi consternationem atque deliquium, cum igitur Dominus noster in Agonia

gonia factus legitur; illud utique dicitur, quod in angore tali fuerit, qui si in homine, quales nos sumus positus fuisset, animi deliquia & defectiones sustinisset. Sed quæ, oro, poterat esse causa tanti angoris? jam supra relatum est, transitum horæ, & translationem calicis, idest passionis, mortis, & fructus ex his obventuri, dispensationem, in quibus omnibus multa terribilia erant inclusa; nimirum emendatio corruptissimi generis Humani; sanctificatio eiusdem, & consummatio ad vitam æternam.

Jesus solatium afflictorum, & pusillanimum fortitudo, per illum tuum spontaneum, in horto horrorem, assumptamque pro nobis luctam, Te supplices exoramus, ut eorum, qui corpus occidunt, metu proposito omnem peccati accessum formidemus, in ultima agonia tecum victoriam habeamus, venturumque te iudicem securi videamus.

§ 84. *Prolixius orabat. v. 43.*

Raptus in Deum, quodammodo extra se positus in oratione, ad patrem loquebatur, non tam ut liberaretur ipsemet, quam ne quid paterentur damni discipuli abeunte se, ne scandalizati obdurescerent; ne Petrus negaturus impenitens maneret; ut calix passionis fidei vobis suis prodesset, præteritorum veniam peccatorum obtinerent, præsentium emendationem, cautelam futurorum, manens in oratione Salvator noster, ut verus pontifex, oneratus totius mundi peccatis, ante thronum paternæ gloriæ & profunda cum Humilitate, patrisque reverentia & lachrymis, sæpè alias benignissimus Iesus, uti advocatus noster, pro nobis oraverat, semper exauditus erat. Nunc rogans ad horam non auditur à Patre, quia *is sic dixit mundum, ut filium suum unigenitum daret.*

Ela Domine tribue mihi indies perseverare tecum in oratione, quò in vera pace spiritus omnem adversitatem transire sinam, & quam diligentissime ad influxum tuæ divinæ gratiæ recipiendum me præparem. Infunde mihi orationem tibi gratam, qua muniar, ne ulla tentatione vincar, sed per triumphum victoriæ omnes inimicos meos despiciam.

§ 85. *Et factus est sudor eius sicut gutta Sanguinis eius decurrentis in terram. v. 44.*

Describit Evangelista, quid ex hac Agonia secutum fuerit in Christo, nempe sudor ubertim fluens è corpore, non communis aquæ similis, sed mixtum sanguine, & in tanta copia, ut non hæreret in benedicta facie vel Corpore, sed deflueret in terram, ut eam madefaceret. Magna sane hæc angustia Christi fuit, quæ tantum excuteret è corpore, tamque copiosum sanguine mixtum sudorem! dices mihi: unde in Christo, qui peccatum

L

non